



SERGIUS Sulpitius Galba, Romæ post Neronē imperat anno mundi 4030. à Christo nato 68. Hic nullo gradu Cæsares contingebat, nam horum familia, siue progenies in Nerone defecerat: nobilissimus tamen erat, magnâque & vetere profapia. Antequàm imperaret mula fertur peperisse. Hic cùm Prætor esset, elephantos funambulos edidit ludis Floralibus. Maiore ab initio fauore quàm læto successu, septimestre imperium tenuit annos natus circiter 80. priuata eius vita insignis fuerat militaribus & ciuilibus rebus. Tandem auarum, sæuum, pigrum se præstitit: atque inuisus omnibus, in medio foro, insidiis Othonis iugulatur: nam cùm subinde iactaret se legere militem, non emere consuesse, eo nomine omnes milites exacerbauit. sed maximè fremebat superioris Germaniæ exercitus fraudari se præmiis: quare statim legationem ad prætorianos cum mandatis destinant: displicere inquit Imperatorem in Hispania factum, eligerent ipsi quem cuncti exercitus probarent. quamobrem ascitus Otho eum trucidari curauit. Vide Sucto. in Galba, Eutro. lib. 7. Bap. Egna. li. i.

LEPIDA vxor fuit Galbæ Imperatoris, qua amissa, duobusq; ex ea filiis, remansit in cœlibatu: neque sollicitari vlla conditione amplius potuit, ne Agrippinæ quidem matris Neronis, viduatæ morte Domitij Aenobarbi, quæ maritum quoq; adhuc necdum cœlibem Galbam, adeò omnibus sollicitauerat modis, vt in conuentu matronarum correpta iurgio, atq; etiam manu pulsata sit à matre Lepidæ. Sucto. in Gal.